



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Regula Sancti Patris Benedicti**

**Benedikt <Montecassino, Abt, Heiliger>**

**Moguntiae, 1604**

Cap. I. De Generibus, & vita Monachorum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64533](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64533)



INCIPIT REGVLA  
SANCTISSIMI PATRIS  
BENEDICTI.

*De generibus Monachorum.*

CAPVT I.

**M**ONACHORVM quatuor esse genera manifestum est. Primum, Cœnobitarum: hoc est, monasteriale, militans sub regula vel Abbate. Deinde secundum genus est Anachoretarum, id est, Eremitarum, horum qui non conuersionis feruore nouitio, sed monasterii probatione diuturna, didicerunt contra diabolum multorum solatio iam docti pugnare: & bene instructi fraterna ex acie ad singularem pugnam eremi, securi iam sine consolatione alterius, sola manu vel brachio contra vitia carnis vel cogitationum, DEO auxiliante, sufficiunt pugnare. Tertium verò monachorum teterrimum genus, est Sarabaitarum, qui nulla regula approbati experientia \*magistri, sicut aurum fornacis: sed in plūbi

*Canobita.*

*Anachoretia.*

*Sarabaita detestabiles.  
\* al. magistra.*



natura molliti, adhuc operibus seruantes te-  
culo fidem, mētiri Deo per tōsuram noscū-  
tur. Qui bini aut terni, aut certē singuli sine  
pastore, non Dominicis, sed suis inclusi ou-  
libus, pro lege eis est desideriorum voluptas;  
cūm quicquid putauerint vel elegerint, hoc  
dicunt sanctam, & quod noluerint putant  
non licere. Quartum verò genus, est mo-  
nachorum quod nominatur Gyrouagim;  
qui tota vita sua per diuersas prouincias ter-  
nis aut quaternis diebus per diuersorum cel-  
las hospitantur, semper vagi, & nunquam  
stabiles, & propriis voluptatibus & gulæ il-  
lecebris seruietes, & per omnia deteriores  
Sarabaitis: de quorum omnium miserima  
conuersatione melius est silere, quàm loqui.  
His ergò omissis, ad cœnobarum fortissi-  
mum genus disponendum, adiuuante Do-  
mino, veniamus.

*Gyrouag*

*Qualis debeat esse Abbas. CAP. II.*

**A**BBAS qui præesse dignus est monaste-  
rio, semper meminisse debet, quod di-  
citur: & nomē maioris, factis implere. Chri-  
sti enim agere vices in monasterio creditur,  
quandò ipsius vocatur prænomine, dicente  
Apostolo: Accepistis spiritum adoptionis fi-  
liorum, in quo clamamus, Abba pater. Ideo  
que Abbas nihil extra præceptum Domini  
(quod absit) debet aut docere, aut consti-  
tuere, vel iubere: sed iussio eius vel doctrina,  
fermentum diuinæ iustitiæ in discipulorum  
menti-

*Roman. 8.*